



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Punct. I. Quid sit signum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

PUNCTUM PRIMVM.

Quid sit signum.

prioribus secundum entitates materiales, concedo: secundum predicabilitatem, quæ est forma vniuersalis, nego. Instabis: modus prædicandi sequitur modum essendi, quia quales sunt res, tales debent enuncitari. Sed modus essendi posteriorum prædicabilium est dependenter à prioribus: ergo & modus prædicandi. Respondeo modum prædicandi sequi modum essendi intentionalem, & non realem. Ad confirmationem dico res debere prædicari ex parte obiecti in ordine ad affirmationem, & negationem eo modo, quo fiunt non verò secundum modum prædicandi, modus enim quo res existit, debet explicari per prædicationem, non tamen debet ipsi prædicationi conuenire, quia modus essendi cuiuslibet rei, est determinatus, & singularis, & modus prædicandi sepe est vniuersalis, vagus & confusus.

Obiicies quartò: Conceptus vniuersalis transcendit ultimas differentias prædicabilium: ergo non potest illis esse vniuocus. Eodem modo, quo de dependentia, sentio de transcendentia vniuocationem non impedire, sed quidquid de hoc sit negandum est, quia differentie prædicabilium, quæ explicantur per *quid*, aut per *quale*, aut per modum partis materialis, vel formalis, seu per modum totius secundum se vniuersalitate non includunt.

Obiicies quintò: Si vniuersale est genus ad quinque prædicabilia, vniuersale esse vnum ex prædicabilibus, & species sui ipsius, & inferius, atque superius se ipso; inferius quia est genus, quod vniuersali subiicitur; superius quia est vniuersale, ratio abstracta ab omnibus prædicabilibus. Sed hæc non possunt componi: ergo vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia. Respondeo vniuersale secundum conceptum illi intrinsecum, & essentialem, qui tantum dicit esse vnum in multis esse quid genere superius, ab illo abstractum, & commune omnibus prædicabilibus, in quibus reperitur, sicuti reperitur ratio animalis secundum conceptum essentialem viuientis sensibilis in quacumque specie sub illo contenta; huic verò conceptui, vniuersale, accidentaliter, & extrinsecè aduenire denominationem generis per cognitionem reflexam, qua omnia vniuersalia intrinsecè iam constituta confusè cognoscuntur, ex vi cuius cognitionis vniuersale quatenus per illam accidentaliter denominationem genus constituitur, secundum hanc denominationem accidentalem inferius se ipso secundum rationem essentialem, quod inconueniens non est, cum non sit idem vniuersale inferius, & superius secundum eandem rationem, sed superius & multis commune secundum conceptum essentialem, videlicet quatenus est vnum in multis secundum quem conceptum reperitur in omnibus speciebus, sicuti animal reperitur in suis inferioribus secundum conceptum viuientis sensibilis, & inferius suo conceptu essentiali secundum denominationem accidentalem generis, secundum quam non debet reperiri in suis inferioribus, sicuti animal non reperitur in homine, & equo secundum conceptum extrinsecum, & accidentalem generis, sed præcisè quatenus est viuens sensibilis. Eandem doctrinam latè tradidi Controuers. 3. Punct. 1. vbi explicui quomodo genus possit definiiri, & dari genus generis. Hic intempestiue nonnulli agunt de prædicamentis, de quibus in Metaphysicis disputo.

CONTROVERSIA VIII.

De signo.

IN duobus libris de interpretatione agit Aristoteles de propositione, & consequenter de oratione, quia propositio est oratio enunciativa, & de partibus propositionis, videlicet de nomine & verbo, & quia hæc rerum sunt signa de signo ibidem disputationem instituit. De oratione, propositione, nomine, & verbo egi Controuers. 3. Summularum, restat modò agere de signo, cuius naturam præfens Controuersia discutiet.

Signum definiuit D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. & lib. de principiis Dialecticæ cap. 5. *Signum est quod præter speciem sui quam ingerit sensibus, aliud aliud facit in cognitionem venire.* Ad hanc definitionem explicandam notandum est, duplex esse signum, quoddam formale, instrumentale aliud. Signum formale dici solet illud, quod per se formaliter suum obiectum potentia significat, seu id quod formaliter constituit potentiam cognoscentem obiectum illud, cuius dicitur signum. Humiimodi est cognitio, seu species impressa respectu sui obiecti. Signum instrumentale dicitur, quod est instrumentum medio quo deuenimus in cognitionem, seu in formale signum obiecti, hac ratione deseruit suspitum ad cognoscendam tristitiam, quam significat, & hæc vox homo, ad cognoscendum animal rationale, cuius est signum. Ex his signis definitio hæc tantum conuenit signo instrumentali, & non formali, quia signum formale nullam sui speciem ingerit, neque prænoscere necesse est ut suum obiectum significet. Addit nonnullus adhuc prædictam definitionem non competere omnibus signis instrumentalibus, quia non conuenit speciei impressæ, quæ est signum instrumentale, & media specie expressa facit nos venire in cognitionem sui obiecti. Verumtamen dici potest speciem impressam signum instrumentale non esse, quia non facit nos deuenire in cognitionem obiecti, media sui cognitione, imò neque signum esse, quia de ratione huius est facere deuenire in cognitionem obiecti vel formaliter per se ipsum, vel mediâ sui cognitione. Potest etiam ad signum formale aliquo modo reduci, quia licet per se non constituat formaliter cognoscentem potentiam in ordine ad quam signum dicitur, illam tamen informat, & per modum formæ se habet respectu illius. Doctrina hæc facilius poterit defendi, si dicatur signum formale esse illud, quod informat potentiam in ordine ad quam signum dicitur, & signum instrumentale appellari illud, quod est extra potentiam. In his enim, quæ tantum loquendi modum important faciliè quisque poterit rem componere, & ea ratione componenda est, qua tanti Doctoris definitio constans sit, illasque defendatur. Demum dici poterit D. Augustinum tantum definisse signa externa, quæ frequentius apud omnes signa dicuntur.

Signum in vniuersum definiunt nonnulli *id quod facit nos deuenire in cognitionem alicuius rei.* Verumtamen hæc definitio exacta non est, quia conuenit causis respectu suorum effectuum, ex causarum enim cognitione in cognitionem suorum effectuum deuenimus, & tamen causæ iuxta communem loquendi modum non dicuntur effectuum signa. Respondebis de ratione signi esse facere deuenire in cognitionem rei, quam significat à posteriori, & non à priori; causam autem facere deuenire in cognitionem effectus à priori, & non à posteriori, & idè suum effectum non significare, neque illius esse signum. Doctrinam ex tuo cerebro fingis ad præsentem difficultatem effugiendam. Sed esto vera esset; quam definitionis particula significatur cognitionem ex signo non à priori, sed à posteriori deducendam esse? Demum cognitio vini venalis ex ramo pendenti, qui in omnium opinione signum dicitur, à posteriori non est, cum ramus non sit effectus vini, ni velis omnem cognitionem, quæ non est à priori, & per causam, dici à posteriori.

Rectè notarunt P. Toletus lib. 1. Periherm. cap. 1. q. 1. & P. Rub. ibid. quæst. vnica, n. 5. Signum aliud esse proprium, aliud improprium. Signum proprium duas habet conditiones. Prima est, ut faciat nos deuenire in cognitionem rei, quam significare dicitur. Hac signum improprium contentum est. Secunda, ut à natura ipsa, vel ab hominum impositione institutum sit ad talem rem significandam. Ex defectu huius conditionis asserit P. Rubius risum non esse signum irrationalitatis, quia risus institutus non est, ut nos faciat deuenire in cognitionem principij ratiocinandi, licet de facto ad illud cognoscendum nos deducat. Ex defectu eiusdem conditionis noster Toletus excludit à propria ratione signi fumum respectu ignis, effectus respectu causarum, & causas respectu affectuum, quia neque

fumus ad ignem, neque causa ad effectum significandum, neque effectus ut nos faciat deuenire in causâ cognitionem instituta sunt. Excipiem ego effectus in quibus principia intendunt speciem conferuare, quales sunt omnes viuoci, quia horum productio instituitur à natura ut principium creatum ex se defectibile in effectu perseueret, & causa, quæ non potest se ipsam conferuare, in effectu eiusdem naturæ, vel quem eiusdem naturæ intendebat producere, intendit suam durationem protendere. Ob hanc rationem filij Patrum imagines appellantur, & in similitudinem naturæ produci dicuntur, & quasi Patrum loco à natura constituuntur, ut horum memoria in illis tanquam in signo, & imagine perseueret. Ex his proprietatibus rectè signum in vniuersum definitur, *Quod institutum est ut nos faciat deuenire in cognitionem alius.* Hac definitione comprehenduntur voces significatiuæ, quæ ex hominum consensu institutæ sunt ad obiecta significanda, comprehenduntur etiam alia signa artificialia, sicuti Cæsaris pictura, quæ ab artifice effecta est, ut nos faciat in cognitionem Cæsaris deuenire, & tubæ seu campanæ sonitus qui ex hominum consensu, verbis aut consuetudine insinuat deferuit, ut nos faciat deuenire in cognitionem ineundi prælij, vel lectionis legendæ. Comprehenduntur etiam signa naturalia, veluti sunt cognitiones respectu suorum obiectorum, ad quæ repræsentanda instituuntur, & filij respectu Parentum, & effectus respectu causarum viuocarum. In his comprehendi vult P. Rubius supra gemitus, & suspiria, quia instituta sunt à natura, ut tristitia animalis significet; ego verò potius dicerem instituta esse in naturæ leuamen, quod mediis illis intenditur, & ea à propria signi ratione excluderem.

Disputant nonnulli an de ratione signi sit ut obiectum quod significet ab ipso realiter sit distinctum. Censeo de ratione signi non esse distinctionem à re significata, quia potest dari cognitio reflectens supra se ipsam, quæ se ipsam repræsentet, & consequenter sit signum sui ipsius. Similiter in signis externis, & instrumentalibus hæc dictiones *vox*, & *nomen*, se ipsas significant, quia prima significat omnem vocem, & consequenter se ipsam cum sit vox, secunda quia significat omne nomen, & cum ipsa nomen sit, sit se ipsam significare. Neque inconueniens est idem ex cognitione sui ducere in aliam cognitionem sui ipsius, quod sufficit ad rationem signi, quia non est de ratione huius ducere in cognitionem primam rei significatæ, sed sufficere ducere in aliquam rei cognitionem, etiam si res supponatur iam cognita.

De signorum diuisione dixi Controu. I. Summul. Punct. 2. num. 5. solumque addendum occurrit ibi dictis cognitionem, quæ est signum formale sui obiecti posse etiam dici signum instrumentale, & non solum per se ipsam formaliter obiectum repræsentare, sed media sui cognitione ducere in cognitionem sui obiecti, eo enim ipso quod quis reflexè cognitionem agnoscat in ipsa tanquam in obiecto prius cognito cognoscit illius obiectum.

PUNCTVM II.

In quo consistat formalis ratio signi.

1. **I**N signorum naturalium ratione formali assignanda nulla est difficultas, certum enim est hæc per se ipsa repræsentare suum obiectum, vel ducere in cognitionem illius, sic cognitio nullo superaddito formaliter significat suum obiectum, & suspirium, gemitus, & fumus per se ipsa ducunt in cognitionem suorum obiectorum, quorum sunt signa saltem impropria, aut propria, ut non pauci volunt. Ita difficultas est de signis, quæ non naturaliter per se ipsa, sed ex libera hominum impositione significant.

2. Audiendi non sunt qui asserunt signa ad placitum constitui per relationem quandam prædicamentalem, quæ resultat in vocibus, ex hominum conuentione, qua statuerunt voces hanc vel illam significationem habuisse, quia ut probabo Controu. 5. Metaphysic. Punct. 2. nulla relatio prædicamentalis fundamento & termino superaddita admittenda est, & etiam si admitteretur, alienum est ab omni ratione asserere ex voluntate hominum, quæ iam per annorum multa millia millium præterit, nunc resultare in voce, quam profero accidens quoddam reale intrinsecum.

3. Fert communis sententia rationem formalem signi in vocibus, & aliis signis ad placitum esse extrinsecam denominationem procedentem à voluntate illorum, quibus datum fuit nominibus aut rebus significationem imponere, ita tenent omnes Doctores, præter paucos, qui asserunt rationem formalem signi consistere in relatione prædicamentali fundamento intrinseca, illique superaddita. Verumtamen, quia nonnulli asserunt extrinsecas denominationes importare ens rationis, ideo asserunt rationem signi dicere formaliter ens rationis. Alij verò qui tenent extrinsecas denominationes dicere quoddam ens morale in hoc ente morali rationem signi constituunt. Illi verò qui defendunt extrinsecas denominationes nihil addere supra fundamenta, à quibus dicuntur trahere originem, & ab his nullo modo distingui, consequenter defendunt signum nihil aliud dicere, quam vocem aut rem tanquam materiam, & liberam voluntatem, qua homines statuere per talem vocem aut rem in cognitionem deueniri talis obiecti, non retractatam, neque per non vsum, aut per vsum oppositum reiectam. Extrinsecas denominationes non esse entia rationis, neque à fundamentis distingui probabo Controu. 12. Metaphysic. Punct. 5. iuxta quam sententiam constituens rationem signi in extrinseca denominatione teneor asserere signum pro materiali dicere vocem aut rem, quæ extrinsecè in ratione signi constituitur, & pro formali voluntatem hominum, ex vi cuius statuere per hanc vocem seu rem deueniri in cognitionem talis obiecti habitualiter perseuerantem, ex eo quod non sit retractata, aut per non vsum, seu per contrarium vsum abolita.

4. Ratio est facilis, ex eo enim præcisè, quod Adamus voluerit hac voce *homo* deueniri in cognitionem animalis rationalis constituta fuit in actu primo illud significans, & facta est nomen eius, iuxta illud Genes. 1. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuens ipsam est nomen eius.* Neque quidquam aliud præcessit, aut est in rerum natura, ex vi cuius hæc vox homo constituta fuerit significatiua nostræ speciei præter Adami voluntatem. Sic in aliis vocibus, quæ institutæ sunt in quacumque lingua ad hoc vel illud obiectum significandum nihil aliud potest excogitari, ex vi cuius significationem habere dicantur, præter communem hominum consensum, aut voluntatem illius, qui idiomatis ad quod vox illa pertinet author fuit. Neque ex alio capite sono campanæ audito intelligimus tempus esse lectionem adeundi, nisi quia hominum voluntate fancitur, ut quotiescumque hæc campana pulsatur tempus esse adeundi lectionem intelligatur. Sic sæpe conuenire solemus, ut quotiescumque rem aliquam videndam obiciamus in cognitionem huius euentus, illiusve voluntatis, quam exprimere volumus deueniendum esse. Pleraque institutum signa, quibus verborum loco vrimur, nostrisque pandimus affectus, ex eo præcisè quod liberè statuerimus hanc vel illam rem hoc signo dato intelligendâ esse.

5. Obiicies: voluntas illa, quam assignauimus, habet pro obiecto rationem signi: ergo non est ratio formalis signi, cum hæc se teneat ex parte obiecti, ad quod terminatur voluntatis actus, qui non fertur in seipsum. Respondeo voluntatem illam non habere pro obiecto virtutem significandi, per quam formaliter signum constituitur, sed significationem actualem, quæ est actus illius potentie, quam formaliter constituit voluntatis actus. Itaque talis actus per se ipsum in genere causæ formalis constituit signum in ratione signi, hoc est, potens significare, & respicit tanquam obiectum significationem actualem realiter distinctam à ratione signi, sicuti præceptum superioris respicit tanquam obiectum rem præceptam, cuius obligationem inducit, & per se ipsum formaliter inducit obligationem, & est ratio formalis obligandi, ex vi cuius subditus manet obligatus ad exequendum obiectum talis actus. Idem contingit in institutione monetæ, voluntas enim Principis, ex vi cuius moneta instituitur, respicit tanquam obiectum homines tanti habere metallum hoc sic elaboratum, hisque signis excusum, & formaliter constituit tale metallum cum valore, ratione cuius tanti habeatur, formalis autem monetæ ratio non consistit in hac æstimatione actuali, quæ est obiectum actus, ex vi cuius moneta instituitur, sed in illo valore, qui est ratio formalis monetæ, & formaliter consistit in actu Principis ad hanc æstimationem actualem terminato.

6. Obiicies secundò: Ratio formalis signi consistit in actu voluntatis,